

Z 5  
P

Sum ex libris  
Davidis Christiani Pauli  
Regis Anhaltini  
Comparavit Serenitas  
Anno 1703.  
conf. 5 1/2



Terminos ASCANIAE sive Principatus Anhaltini habet ab occasu  
solis Principatum Halberstadensem; ex parte etiam Comitatus  
Stolbergensem et Mansfeldicum; procurritq̄ versus ortum pe-  
nè ad Wittenbergam usq̄, Saxonis Electoralis urbem, Academia  
et munitio clarum. A meridie contingit Electoratum Saxo-  
niae, Archiepiscopatum sive Ducatum Magdeburgicum et Mansfel-  
dicum Comitatum. A Septentrione verò parte jam dicti Archie-  
piscopus, et Marchia Electorali ambitur; Inter potentissi-  
mos Germaniae Principes mediis eorumq̄ ditionibus ita innexo  
ut fines nusquam ferè naturam loci, sed iudicio, usu, et con-  
suetudine regantur. Metropoli Principatus non ha-  
bet. Primaria tamen urbium est SERVE-  
STA, quae vetustate vicinas quascunq̄ provocat, et cerevi-  
siam optimo colore ac sapore praestantissimam nulli Europae-  
orum cedit. Gymnasio quoq̄ illustri à Joachimo Ernesto  
Principe, fundato conspicua est, in quo praeter Philoso-  
phiae et Philologiae studia superiores quoq̄ disciplinae Ai-  
pendio totius Serenissimae Familiae Anhaltinae docen-  
tur. Incolae isthic ut plurimum hospitales  
sunt.

Alterā abhinc est BERENBURGUM, sitū loci et ferti-  
li tam frumenti, quam vini solō felix, eoque in iūris mili-  
tūm et Martis domicilio opportunū et extremo Ger-  
manico bello nimium quantum perpeſsum. Sed nec ar-  
ci parcitūm est, vetustae Principūm Ascanio-Bevin-  
gerorū Sedi, quae nomen civitati dedit, et edito  
colli imposita eidem imminet, Sala flūvio, istis oris  
nobilissimo, arcem, Civitatemq̄ interflūente.

DESSA non procul ab Albis et Mulda conflūente  
sita, amoenis undiq̄ sylvis circumdata, ferarūm  
et pisciūm, cum primis Salmonūm captūra, aspectū  
etiam jucūdo, quam frumento ditior est. Servestā  
et Berenburgo minores, sed structura edificiorū  
et popularis linguae elegantia utraq̄ politior.  
Cum primis tamen Arce magnificā, ea et totiq̄ Diti-  
onis primaria superbit, quam jam memorato Joachi-  
nis Ernesti, Princeps anno superioris seculi 77.  
kalendis Aprilis fundavit, et octogesimo propriis  
sumptibus, sine subditorū subsidio, felicissime

absolvit. JOHANNES vero Georgius hodiernus Princeps  
splendidissime instruxit, et hinc horto eidem subdito illinc  
adornata spatiosa et opulenta ferarum custodia con-  
natam loco amoenitatem sumptuosam arte adauxit.

LÜTETIA, incolis Eöthru, in precipuis quoq; Anhalti-  
narum numeratur, felici segetis proventu praestat, et  
palatio principali, hortisq; circum circa ad usum et ju-  
cunditatem optatis ubivis cognitum est. De qua, et Lu-  
dovici Principis Aulā legi meretur dissertatio Danie-  
lis Eremita Etrusci, ad Imperii Principes Legati.

Reliquas Civitates et Oppida Harzgerodam, Ge-  
zenrodam, Ballenstedt Sandersleben, Neo-  
bürgum ad Bodam, Aeshitz, Ragum, Wör-  
litz, Coswig, Großzig, etc. de industria pra-  
ferimus, ne iusto sing longiores, etc.



AB 15409A (11)



*Q. D. B. V.*

# Principium Mofel- læ Aufonii


*AD DISPUTANDUM  
PUBLICE PROPOSITUM*

PRÆSIDE

CONRADO SAMUELE  
SCHURZFLEISCH,  
PROF. PUBL.

RESPONDENTE AUCTORE

M. GODEFRIDO KÜPFENDER  
OLSNA-SILESIO.



WITTENBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr  
ANNO M. DC. LXXVI.



G. D. R. N.

Principium Mosei  
Is Auloni

AD DISPUTANDUM  
PUBLICA PROPOSITUM

PRÆSIDE

GONRADO SAMUELLE  
SCHURZLEISCH  
PROF. PUB.

RESPONDENTE ACTORE

M. GODFRIDO KÜPFENDER  
ORD. P. PUB.

WITTENBERG,  
LITH. MATTH. ERHARDT, 1811  
ANNO M. DC. LXXVI.







tiani filii studiis acciverat, & postea Galliaë Belgicæ præfectum imposuerat, à Treboocis in Treviros profectus, Alsatiam transiit, & postquam Argentoratum, regionis caput muro circumdatum primò vidit, primis versibus, quibus Mosellam auspicatus est, hoc veluti monumento ejus suscepti itineris memoriam conservavit.

3. Quæ res causaqve tam plana est, ut nisi jam illustrandi Ausonii data mihi occasio fuisset, isto sanè instituto prorsus ac meritò supersedere possem. Verùm quia hoc negotium est ejusmodi, ut dignum usu tractationeqve videatur, rationem inibo, quemadmodum Ausonio pariter auctoritas, & sermoni meo fides concilietur.

4. Sed priusquam eo labore, sine quo omnis diligentia supervacanea futura est, defungamur, finium, quibus Alsatia separatur, certa esse constituta ratio debet, cum ut regnorum *Austrasie Burgundiaëq;* portiones ne confundantur, tum ut *Alemanniaë* sæpe in dubium vocatus limes quodammodò intelligatur.

5. Quod

§. Quod ubi facturum me recepi, ini-  
 tium ordiar à Comitatu *Pfuretarum*, cujus in  
 multis & pervetustis monumentis mentio fit,  
 cujusq; certo fundamento nixum jus est, quem  
 Austrasiæ non rectè annumeraveris, nec jure  
 Alsatiæ membrum dixeris, propterea quòd ex  
 diversa causa acquisitus est, atqve adeò ratione  
 primi acqvirentis dispari modo jureqve conti-  
 netur; Rauracorum qvippe portio, & in fines  
 Antistitis Basileensis, veri atqve indubitati Ger-  
 manix Principis descripta, ejusq; beneficio diu  
 & pacatè ab Anstriis, & ante hos à Comitibus  
*Pfuretarum* possessa, quod codicillis publicâ fi-  
 de firmatis, in quibus hæc sequentia anno M.  
 CCLXXI. scripta sunt, doceamus. *Ulricus Co-*  
*mes Pfuretarum* : \* *Noverint tam presentes,*  
*quam posteri, quod nos Domino nostro Henrico*  
*Episcopo Basiliensi* : \*\* [Basileæ primus meminit  
 Amm. Marcellinus lib. XXX. quam Ptolomæ-  
 us Augustam Rauracorum appellavit l.2. cap. 9.]  
*nomine Ecclesie sue, à qua unà cum progenitori-*  
*bns nostris nos multis beneficiis, feudis & aliis*

\*\* Basiliensi  
 pro Basileensi,  
 in diplomatis  
 ejus seculi,  
 Chronico Col-  
 mariensi, &  
 Alberto Ar-  
 gentinensi le-  
 gitur.

A 3

plu-

\* al. *Ferretarum*, vulgò ditioni *Suntgovie* annumeratorum. In  
 Chron. Colmariensi part. alt. p. 51. *Pbirreta* dicuntur.



\* id est, auctos  
ornatosq; atq;  
unà in melio-  
rem altiore-  
que statum e-  
vectos, ut hac  
ratione per-  
frequenter oc-  
currit in ta-  
bulis Carolo-  
vingicis. In se-  
quiorum tem-  
porum monu-  
mentis occur-  
runt formulae  
beneficiare, in-  
beneficiare, in-  
feodare, jure  
feodali compe-  
tere.

plurimis utilitatibus sublimatos\* recognoscimus,  
& multipliciter honoratos, castrum & oppidum  
de Pfureto, &c. per manum & consensum Theo-  
baldi filii nostri vendidimus, tradidimus, & in  
vacuam possessionem misimus, recipientes tam nos,  
quam idem Theobaldus filius noster, omnia pre-  
scripta in feudum seu beneficium, à dicto nostro  
Domino Episcopo Basiliensi, nomine Ecclesiae suae,  
prestito sibi à nobis fidelitatis corporaliter sacra-  
mento, &c.

6. Unde jure optimo existimare liceat,  
Rauracos, qui situs ratione ad Burgundiam per-  
tinent, Pfuretas lege beneficiaria sibi obnoxios  
habuisse, & à multis inde seculis in ditione im-  
perioque retinuisse, quod non fingimus teme-  
re, sed ratione usq; annalium comprobamus,  
adeò ut rerum conversio Alsaticarum Comita-  
tus Pfuretarum dignitati atque juri separato de-  
rogare non potuerit, si Domus Austria pacis fir-  
mandæ remedium omittere voluisset, quæ cum  
propter consolidanda Germaniæ vulnera jure  
suo cederet, tùm Rauracorum Antistiti id gra-  
ve,

ve permolestumque est visum, quod in actorum publicorum commentarios retulit Michael Caspar Lundorpius.

7. Id verò aliunde perspectum est satis atque cognitum, Basileam Rauracorum caput ac veterem sedem ambitu Burgundiæ comprehendi, & ab Alsatia Sundgoviaque secerni, in qua re præterquam quòd scriptores graves mihi assentiuntur, VVippo quoque eruditione ac sacerdotii gravitate eximius vir, & dum in vivis esset, Conrado Saliquo à sacris, firmâ constantique sententiâ suffragatur. *Basilea, inquit, civitas sita est in quodam triviali confinio, id est, Burgundia, Alemannia & Francia: ipsa verò civitas ad Burgundiam pertinet, p. 431. edit. Pistoriana.* Quæ causa est, quòd Adelmus Burgundiam *Alemannia conterminam* scripsit, A. DCCC XXIII. De Ungarorum ex Alsatia in proximam Burgundiam transitu, irruptioneque vid. *Ekkehardus junior cap. 5.*

8. De Alemannia longum est dicere, præcipuè si quibus illa spatiis contineatur, quibusque  
fini-



† Gasp. Bar-  
thius in Guil.  
Britonem lib.  
1. Philipp. p. 36.  
singularem li-  
brum de eo ar-  
gumento pro-  
misi Melchior  
Goldastus, quē  
omnino desi-  
deramus.

finibus ab unaquaque vicinarum regionum di-  
stet, commemorare instituiam, cum quòde eius  
populi semper incertæ sedes variæque migra-  
tiones fuerunt, tùm quia tot accessiones demi-  
nutionesque finium ibi factæ sunt, ut vix in Ale-  
mannia reperiri posse Alemanniam, multi nec  
ineruditi viri arbitrentur. † Sed omittam in præ-  
sens vetus Alemanniæ regnum \* quippe exhau-  
stum bellis olim atq; penitus eversum: tantùm  
de Sveviæ ducatu, in quantum Alemanniæ \*\*  
nomine insignitur, addam, sæpe de eius limite  
acriter quoq; esse disceptatum, Alsatiæne an A-  
lemanniæ, an Rauratiæ pars haberi debeat. \*\*\*  
Primum Habsburgii, alterum Zaringii, postre-  
mum Episcopi Basileenses omni contentione a-  
nimi propugnarunt, quod præcautum provi-  
sumq; à Gallis est, quando de Alsatia in satisfa-  
ctionem sibi danda cum Ferdinando III. paci-  
scebantur. Etenim ut maximè videri posset,  
Bre-

\* *Destructum atq; in provinciam redactum est à Clodoveo Fran-  
corum rege. Gr. Turon. l. 2. cap. 30. conf. Crus. part. 1.  
annal. Suev. l. 8. cap. 9.* (prologo.

\*\* *Otto Frising. lib. 1. cap. 8. Valafridus Strabo de Vita B. Galli in*

\*\*\* *Seb. Munst. Cosmog. l. 3. cap. 57. Chr. Wstifius Basl. Chron.  
lib. 2. cap. 20.*

Brefacum inter avitas patrimonii Habsburgii  
accessiones numeratum, Alsatia superioris an-  
tiqvissimam esse portionem: tamen ut omnem  
dubitandi occasionem præciderent, certumq;  
jus constituerent, quippe non obliti, propter  
mutatum Rheni alveum \* ejus oræ limitem,  
haud septum satis munitumqve fuisse: conve-  
nit, ut disertè & separatim in cessionis instru-  
mento exprimeretur, \*\* siquidem fraudi esse  
posset, si sub nomine tituloqve Alsatia unà ejus  
facta abalienatio intelligeretur: propterea quòd  
in cessionum instrumentis per strictas interpre-  
tandi rationes minimè talis cessio admitti pos-  
set, quâ pro conjunctis haberentur, quæ revera  
separata dissimiliaqve essent. Cujusmodi est  
controversia, quæ nuper Gallos inter Hispanos-  
que orta, \*\*\* usque ad hodiernum diem duci-  
tur, quanquam melior est causa Hispanorum,  
non incerto, neque fallaci fundamento innixo.

B rum

\*\*\* *Pax Aquisgranensis §. 2. 3. cujus occasione lis coepta est de  
dependentiis, ut vocant, castrorum Conde, Linke, non se-  
cùs atque anno 1658. super insula Huena inter Danos  
Suedosque in pari dependentia argumento controverte-  
batur.*

\* *V. I. G. Kief-  
fer de Domo  
Austr. quest.  
26.*

\*\* *Inst. Pac.  
Monaster S.  
Tertio impe-  
rator.*

xorum , quòd apud omnes gentes hæc interpretandi ratio recepta sit, ut *generali sermone intelligatur, quod expressè speciatiuq; est nominandum, præsertim in alienationibus, alioqui odiosis, & strictè explicandis.* Neque id non valet in donationibus, ut rectè ab Hugone Grotio traditum est lib. II. *de jure belli & pacis cap. XVI. n. 3.*

9. At quia hæc uberiùs tractare non vacat, nunc danda mihi opera est, ut veteres Alsatix res paulò ab suis principiis repetam, & priusquam ad reliqua progrediar, admoneam, per vetusto *pagi Elisatii* nomine in priscis Francorum monumentis celebrari. In supremis Karoli M. tabulis appellatione Austriæ includitur, quia exploratum est, Austrasiam, cujus Alsatia pars est, antiquitus dictam esse Austriam, *apud Fredegarium cap. 100. Aimoinum lib. 4. c. 11.* Neque est, ut prætereamus, titulo comitatus auctam, sigillatim nominari, cujus rei cum multa documenta sint, tum explicatè abundanterq; constat *ex tabula pacti divisionis, inter Karolum*



lum & Hludovicum anno DCCC LXX. initi, a-  
pud Petr. Pithæum p. 489. Frodoardo, uno inter  
æquales suos fide auctoritateq; maximè spectato,  
ad A. DCCCC XXXIX. Aimoino lib. V. cap.  
XXV. Quæ testimonia quin rata firmaq; sint,  
nullus dubito, & opportunè nunc recordor,  
Hludovico Pio in Alifatiam profecto res haud  
feliciter cecidisse, propterea quòd ibi splendor  
atq;ve majestas ejus valde imminuta, & magna  
ipsius beneficia majoribus maleficiis compen-  
sata sunt, usq;ve eò ut loco dimotus, velut sup-  
plex miseratione q;ve plenus, prostratæ imperii  
auctoritatis exemplum esset, *annal. Franc. A.*  
DCCC XXXIII. In diplomate Trudbertino,  
quod auctoritate Arnulphi imp. corroboratum  
est, Alfatia, quæ tunc sine dubio in Comitatum

10. A Francorum monumentis disceden-  
ti venit in mentem Everhardi, minimè dubii &

B 2 quem

\* Alifontia, cujus meminit Ausonius, Mosell. 371. non regionis, sed  
fluvii nomen est, qui quarto supra Confluentiam lapide se in Mo-  
sellam exonerat, diversus ab eo, qui in ducatu Luzenburgico,  
Sura fl. jungitur: neq;ve cum Alva, sive Albe, quem Mosella in  
regione Trevicorum excipit, confundendus. Ab eo dictus vide-  
tur pagus Allenzgowe, famâ hujus nominis vetustate q;ve inclu-  
tus, V. Freberus in Mosell. h. l.

\* Nithardus  
l. 3. Elisazam  
nominat, in  
qua Tabernas  
per Zabarnam  
designat.

certis argumentis explorati Alsatiae Comitis, quem *Chronica Australis*, quæ dicitur, hoc nomine tituloque appellavit, ut ab Everardo Francorum cautè distingvatur, A. DCCCC XXXIX. Quod tamen non eò pertinet, ut negemus, Alsatiam aliquando in ditione potestateque Ducum fuisse, sed ut intervalla temporum personarumque rectè partiamur, qui alioqui multis rationibus documentisque confectum habeamus, fuisse tempus, quum Alsatia post Comites etiam Ducibus pareret. Illudq; cur dignum censeamus, ut commemoretur, præcipuè efficit Detmarus Merseburgensis, qui libro quinto hæc scribit. *Dux autem ut audivit sua à rege prædata, nondum volens humiliari, sed, pro dolor, contra dominum & regem exaltans se, caput ducatus sui Argentinam, quæ Strasburg dicitur,\* quia Episcopus ejusdem urbis Vvicelinus sibi resistere presumpsit, cum Conrado suimet gepud Nithar-nero, milite petito armato, murosque ascendens, nil victis reliquit.* ii. Cæ-

*pretatur Aimoinus lib. 5. cap. 25. Nunquam Episcopus dominos habuit, sed ab imperatoribus & regibus, quondam per Advocatos regebatur, qui non sunt confundendi cum advocatis generalibus, sive imperialibus, multò minus cum Advocatis Alsatie provincialibus; sed advocatia Urbis Argenteratensis dudum desit: alius generis est X. Alsatia civitatum, de quibus vid. instr. pac. Monast. S. itemq; dictus.*

\* *Amm. Marcellino Argenteratus lib. 15. in diplomatis Francorum Strazburgus, sive Strazburg annal. Fr. Pitb. A. 842. Strazburgensis urbs Regin. A. 805. Argentaria apud Nithar- dum l. 3. Argentinã inter-*

11. Cæteroquin dum sub jurisdictione comitum regebatur, sæpe in antiquis ac luculentis tabulis sine adjectione *Elisatium* nominatur, cujusmodi est, quod *anno DCCC LXIX.* scriptis mandavit Otto I. imperator, & vindicatâ Austrasiâ non magis de Alsatia, quæ illius pars est, quàm de Germania, ad cujus ditionem utraqve pertinet, meritus. *V. Orig. Palat. Freh. part. 2. p. 82.*

12. Quapropter non ferunt nostræ rationes, ut iis assentiamur, qui Alsatiam, quam Austrasia inde ab anno *DCCC XLII.* concludit atque comprehendit, Ducatus Alemanniæ ditione circumscriptam, incertas fabulosasq; origines secuti putant. Utcunqve enim aliquando Principum Alemanniæ fortunam secuta fuerit, & statum famamqve eorum auxerit, non tamen propterea ipsis obvenit ex eadem causa, quæ ducatus Alemanniæ: multumqve abest, quo minùs Alemanniæ nomine proprio atqve usu sermoneqve historicorum recepto Alsatia contineatur. \* In quo negotio ut deseramus *Gasparem Bruschi*um, virum alioqvi in omnibus no-

\* Alioqvi non modè abusive multi notione Alemanniæ, sed etiam Alsatiæ utuntur: ut quando *Henricus Stero* Urbem Nemetum Alsatiæ civitatem vocat, *A. M. CC XCI.*

titia Germanicæ partibus versatum, etsi pleræ-  
que ejus sententiæ judiciaque à rebus, quas per-  
tractat, dissentiunt, neque ab exquisita ratione  
disciplinaque civili semper proficiscuntur.

\**Guntramnus*  
*ab Erchinoal-*  
*do, ultimo hu-*  
*jus gentis sti-*  
*pe descendit, à*  
*quo dicitur li-*  
*nea Erchino-*  
*aldina, unde*  
*oriundi sunt*  
*Habsburgi, cui*  
*vetustate re-*  
*spondet Arnul-*  
*phina, à qua*  
*oriuntur Ca-*  
*rolingi. Infra*  
*vetustatem u-*  
*triusque est li-*  
*nea Capetingi-*  
*ca.*

13. Insequenti tempore nomen *ducatus*  
cum nomine dignitateq; *Landgraviatus* com-  
mutatum est, quod cum inspectis seculi XII. ta-  
bulis notissimum sit, tum certa compertaque  
documenta proferre possum, ex quibus intelli-  
gitur, Habsburgios vergente hoc seculo acces-  
sione tituli Landgraviatus Alsatiæ famam exi-  
stimationemque suam amplificasse. Excepto  
quod de primo ejus summi tituli initio difficultas  
nonnulla superest, neq; inter scriptores, in quo-  
rum æquali continuataq; diligentia plurimum  
desidero, convenit, quis tandem ille sit, cui hæc  
primordia accepta referantur. Ego studii o-  
diique causas procul habens, Guntramno divi-  
ti, Habsburgiorum conditori, \* hæreditate co-  
mitatus Vindonissæ aucto, novisque bonis ful-  
to, multum ex ea re dignitatis potentiaque ac-  
cessisse fateor, sed primum fuisse, qui Landgra-

vii Alsatia titulo uteretur, adeò non comper-  
tum habeo, ut quoque firmis argumentis con-  
trarium demonstrare possim. Equidem regnan-  
te Ottona I. cui suppar Guntramnus fuit, nul-  
lum vel vestigium *Landgraviatus Alsatia* defi-  
nitè sic appellati invenias, sive diplomata, si-  
ve *chartas*, sive omnes, quotquot incorru-  
pti etiamnum durant, commentarios evolvas.  
De cætero Guntramnus in vivis esse desiit anno  
DCCCXLVI. \* quo nec dum Otto I. Roma-  
norum imperator fuit, nec Romanorum impe-  
ratoris titulum sumsit, neque ante annum  
DCCCCLXII. sumere ulla juris specie potuit,  
aut voluit. Atqui sub id tempus vel Alsatia si-  
ne adjecto comitatus \*\* nomine, vel duntaxat  
Comitatus dicebatur.

14. Jam Guntramnus ex tanta tamque  
præclara hæreditate insignem utilitatem, quæ  
haud parvum firmandæ ejus successorum po-  
ten-

\*\* Non equidem me latet, sequioribus temporibus Comitatus nomi-  
ne sine adjectione posito intelligi interdum Comitatum provincia-  
lem, apud Monachum Lauterburgensem, ad A. 1130. sed id non  
est ex usu Ottoniani ævi.

\* V. Genealo-  
gia Guntra-  
mni à Guilli-  
manno colle-  
cta, & Chro-  
nico Constan-  
tientiensi à Jo. Pi-  
storio inserta  
p. 671. seq.

tentiæ instrumentum fuit, consecutus, sumen-  
di *Comitis Alsatie* tituli facultatem habebat.  
Verùm id parco titulorum ævo sive ob mode-  
rationem tempori convenientem, sive ob vitan-  
das fortè æmulationes contentionesqve multò  
pòst usu venit, primusqve cœpti hujus instituti  
annus MCLXXXVI. illustre atqve ad posteros  
insigne documentum attulit, excitato fanè ad  
augendam familiæ gloriam Adelberto, ut jure  
auctoritateq; sua fretus *Landgraviæ Alsatie* ti-  
tulum auspiciatissimè ante omnes alios usurpa-  
ret. Quod nec inficiari ausus est David Blon-  
dellus,\* vir omnis quidem antiquitatis scientis-  
simus, sed Gallici nominis caritate in contrari-  
am sæpe sententiam abreptus, ut non tam veri-  
tatis quàm æmulationis causa certa quædam &  
firmis monumentis rationibusq; constituta hi-  
storiæ civilis capita in dubium vocaverit, & in-  
de etiam laudem captaverit, ubi spem occasio-  
nemqve haberet displicendi Austrijs, & detra-  
hendi de gloria imperii Romanorum.

15. Is ab animo partium studio impedito  
impe-

\* In præfat. A-  
pologes. con-  
tra Alsatiam  
vindicatam  
Johannis Ja-  
cobi Chiffletii.



impetrare non potuit, ut Alsatiam in rebus ad patrimonium Habsburgicum pertinentibus numeraret. Cujus ratio qualis sit, verba subjecta ostendent, quibus oppugnat nostram sententiam. *Duo tamen, inquit, hoc loco nota verim, eorum (Habsburgi Comitum) Landgraviatum patrimoniale dominium non fuisse, quandoquidem principalis eorum titulus fuit Comitatus Habsburgi, accessorius verò Landgraviatus, quem priori ipsimet subjungunt.* Sed dum ita statuit, neque colligit rectè, neque judicat sincerè, propterea quòd structura titulorum ad libera gentium instituta pertinet, quam cum Habsburgii, antiquissimi totius Germaniæ Comites, arbitrato suo quondam adornarunt, tum honori suæ gentis, non fraudi esse voluerunt. Etenim eo tempore, quo primùm asciverunt sibi Landgraviatus Alsatiæ titulum, ipsis fuit integrum, præponere eum, aut postponere, quem tamen perpetuo usu summoque consensu titulo comitatus Habsburgici postposuerunt. Quod quamobrem factum sit, existimo non aliam

C

sub-



subesse rationem, quàm quòd *Landgraviatus*  
Alsatiæ definito hoc principalis dignitatis no-  
mine *charactereq;* sumtus, ad patrimonium  
Comitatus Habsburgici jam diu ante consti-  
tuti adjunctus, atqve ex diversa causa, & longo  
pòst tempore acquisitus fuit. Proinde ad acqui-  
rendi ordinem temporisq; notationem spectat,  
quòd Landgraviatus Alsatiæ jam antiquissimo  
inde more institutoq; titulo Comitatus Habs-  
burgici subjungitur. Non secùs atqve apud  
cæteros Germanos solet, quod vel exemplis *Du-*  
*catus* Saxoniae, & *Marchionatus* Brandenbur-  
gici declaremus. Utrisque enim postponun-  
tur nomina *dignitatum officialium imperii atq;*  
*electoratuum*, nec propterea tamen hæc illis in-  
feriora sunt, aut pro accessionibus, ut loquun-  
tur, *non patrimonialibus* horum principum E-  
lectorum habentur. Idq; tam multis ac veris  
indiciis aliis mihi est perspectum, ut ne quidem  
dubitare liceat, illo Landgraviatus Alsatiæ titu-  
lo civile imperium, sive ut Blondellus nominat,  
*patrimoniale dominium* fuisse designatum.

16. Nec





16. Nec dum ab ea mente desistit Blondellus, libenter & cupidè institutum persequens, quod antea neganti, nunc etiam dubitanti idoneum videtur. Quod cujusmodi sit, ex sequentibus licet intelligamus. *Landgraviatum illum (pergit) nec Alsatie totius, nec fortè hereditarium fuisse evincit fragmentum vetus Alberto Argent. præfixum, quo docente A. D. 1236. Henricum Comitem provincialem Alsatie sine heredematum discimus; quo tempore Albertus Rudolphi regis parens vivebat. Sed frustra obnitiur Habsburgiis, neq; ideò res Austria in discrimine est, quòd sensim auctoritate atq; opibus crevit, & diverso tempore plures amplioresq; imperii accessiones habuit, & secundis, quas in divinis beneficiis ponit, rebus usà sic se extulit paulatim atq; firmavit, ut magnitudine potentia dignitatisq; in omnes orbis terrarum partes longè ac latè se diffundat. Nam & in partitis rationibus jus inest, & pro certa portione etiam aliquid rectè possidetur, constatq; Austrios jure stirpis sanguineq; ad cernendam*

*Landgraviatum Alsatie Habsburgorum Austriorum series atq; successio vid. lib. 8. p. 409. seqq. apud Lazium. Quamquam sibi more suo fabulas admiscuit.*

Henrici, ultimi ex comitum Egesheimensium propagine Landgravi, hæreditatē proximis fuisse, & quod antiqui annales ferunt, ipsos quoque Egesheimenses, quorum casu adverso orbitateq; tandem deletus est principatus, ab stirpe Habsburgiâ descendisse, ac morte suâ Alberto Sapienti Habsburgio jus, quod neq; vis, neq; temporum invidia eriperet, certum efficaciqve ad succedendum reliquisse. At verò quando familia Egesheimensis defecerit, sententiis rationibusq; diu est variatum. \*

17. Haud

\* *Wolfgangus Lazius, numerat annum M CC XXXVIII, de gent. migrat. lib. 3. pag. 93. Alii diversum sentiunt, & multum de his rationibus detrabunt, annum M CC XVIII. computantes, inter quos nuper fuit auctor phosphori Austriaci, part. 2. cap. 14. Ego iis me adjungo, qui familia Egesheimensis terminum in anno M CC XXXVI. ponunt, auctoritate fragmenti veteris, quod in aditu operis, titulo chronici Argentinensis inscripti est conspicere, quod cujus pretii sit, non attinet nunc inquiri. Alioqui multa mihi oblata sunt diplomata, in quibus Comites Habsburgii post Episcopos & Principes, quin etiam post Kyburgenses comites collocantur: quod fortè novum posset esse causæ Blondellianæ presidium, nisi mihi compertum esset, talia, etsi vera ceteroquin ducenda habendaq; sunt, non continuo valere ad asserendam prærogativam, ubi causa prærogativæ non disceptabatur. Recordor enim alias in tabulis pactorum, atque diplomatis aliis sepe legisse eos antepositos, qui in judicio controversiæ præcedendi maximè postponi debuissent. Atque eò allegare liceat transactiones inter Episcopos & Duces initas, in quibus hos quoque illis prepositos invenias, salvâ alioquin cujusque dignitate & præcedendi jure.*

17. Haud rectius censeretur, quod Blondellus, ubi in opinionem contrariam discessit, conatus est probare, Alsatiam non modo sub Habsburgiis non fuisse hæreditarium principatum, sed ne quidem *regni Germanici propriè dictum membrum* posse appellari. Quod erroris culpa non vacat, atque ejusmodi est, ut appareat, eum in hac causa sincerè scribendi vel nullam, vel sanè exiguam rationem habuisse: quippe qui nescire non potuit, Alsatiam ab eo tempore, quo imperium Karolinum partitis rationibus à Ludovici pii filiis possideri cœptum est, à consociatione Gallica separatum, atque ab ævo inde antiquissimo semper atque sine dubitatione ditionis Germanicæ fuisse, & lingua, moribus, institutisque; similibus in unam gentem nationemque coaluisse, ac sub regum Germaniæ auspicio imperioque; floruisse, nec non jura jussaque ab iis descripta coluisse, & si eos minùs dignè reverenterque; tractasset, atque ab officio discessisset, lege imperii ad obsequia redactam, sub uno Tevtonici populi nomine atque communi

C 3

jure

V. Regino an.  
842. 855. 869.  
886. Continuator  
Reginonis  
an. 923. quo  
Carolus simplex  
Alsatiam,  
qua in Ludovici  
Germanici posteris  
permanet, sibi  
destinavit, sed  
non obtinuit,  
& paulò post  
ipsam quoque  
Lotharingiam  
vero suo domino  
Henrico Aucupi  
restituit.



\* Nam sive proxime, sive interjecto alio aliquid alicui sit conjunctum sanè pars erit, si eà conjunctione fiat, ut aliquid totius ratione censeatur. Atqui Alsatia fuit Lotharingia tanquam insignioris Germanie membri membrum; proinde & certa rationis, & manifesti juris est, Germanie tanquam integri & perfecti civilis corporis membrum fuisse. V. infra.

jure fidem servasse. Quibus indiciis atque rationibus planè aperteque declaratur, Alsatiam sine contumelia Germanicæ jurisdictionis, ac sine evidenti injuria erga divos Cæsares regesque à Germaniæ membris propriè nominatis divelli non debuisse atque separari. \* Quod luculentis documentis, quæ magno numero in promptu sunt, conficere possem, si mihi consilium esset, hæc longius prosequi, resque amplius institutum ferrent. Tantùm sufficiant, quæ in eam rē prodita sunt à Frodoardo *Chron. an. 928. 939. 940.* Vitichindo Corbejensi *annali.* Ottonne Frisingensi *Chron. lib. 6. cap. 18. 19.* Sigeberto Gemblacensi *an. 923.* qui graviter atque diligenter annotarunt, partem Lotharingiæ, quam Carolus simplex, extincto sine liberis Ludovico Franco-Tevtonicæ propaginis, quæ per Hludovicum Germanicum descendit, ultimo, regibus Germaniæ, ad quos jure pertinuit, præripuerat, Henrico Aucupi, tanquam legitimo & supremo ejus domino redditam, \*\* ac post ab Ottonne

\*\* Per idem tempus factum est Bonnense cessionis instrumentum quod anno D CCCC XXI. inter Carolum simplicem & Henricum

*Aucupem factum est, idque respicit Frising. l. 6. Cbr. cap. 18. dum Belgicam, id est, Lotharingiam Henrico Aucupi cessam memorat. Primus autem inter Francie occidentalis separatae reges Carolus Calvus, divisione alieni patrimonii, quod mortuo sine liberis legitimis Lothario juniore, Ludovico II. imp. debebatur, cum Ludovico Germania rege, ad quem demum extincta Lotharii senioris imp. propagine jure pervenire debuit, anno DCCC LXX. accepit: deinde anno DCCCCXII. mortuo Ludovico, Arnulfi filio regum Germanicorum familiae Carolinae postremo, Carolus simplex Caroli Calvi nepos Lotharingiae regnum invasit, ac postea Bonnae DCCCC XXI. Henrico Aucupi, tanquam vero & legitimo Germaniae regi, ad quem ex causa primorum acqvirentium regum Germaniae jure sanè pertinebat, solenniter cessit attribuitque.*

ne M. vindicatam fuisse. Non me piget referre Sigeberti verba, quòd non modò iis pax foedusque, quæ pactione Bonnensi continentur, sed etiam cessio Lotharingiae unà ibidem facta indicatur. Reges Henricus (Auceps) & Carolus (simplex) apud Hunnam confœderantur, Carolusq; reddit Henrico regi regnum Lotharingiae, episcopis & comitibus utrinque jurando rem confirmantibus. Unde expeditum est intelligere, & foedus, & cessionem in conventu Bonnensi esse factam: deinde isthac cessione Henricum quàm regem Germaniae, atq; adeò postliminiò & nomine ditionis Germanicæ Lotharingiam recepisse. *Fœdus* exprimitur in eo instrumento & no-  
mi-

minatur *unanimitatis pactum, ac societatis amicitia* *quæ sita repertaq;*. *Cessio* ex historia colligitur atque demonstratur. Quod de *confirmatione* episcoporum Comitumq; memorat, id rectè sibi constat, & subscriptis eorum nominibus quoq; comprobatur. Nisi quod anni numerus, quem inquit Sigebertus, eventis non respondet, quo errore aliàs minimè vacat, & mendum sine dubio à librario est admissum, dum *Hunnam* (qua *Unnam* Comitatus Marcani urbem denotatam esse, videri posset) scripsit, cum nullus eorum regum conventus, qui quidè apud *Unnam* habitus sit, ab ullo vero atque antiquo scriptore commemoretur, omninò autem ejus apud *Bonnam* habiti certa atq; luculenta sint documenta. Suffragatur *Frisingensis*, & per antiquum illud ac propter duorum regum conciliationè insigne ad posteror atq; famà celebratū pactum copiosius exponit, *lib. 6. chr. cap. 18.* Quapropter *Allatia*, omninò propriè *membri Germania* nomine continetur, quia uno quondam summo imperio continebatur, & quod à tempore

pore ultimorum Germaniæ regum in Ger-  
mania, tanquam integro, jus valuit, idem in  
Alsatia, tanquam membro, unâ gentis jurisque  
societate cōjuncto omni seculorū memoriâ sem-  
per valuisse intelligitur, certo *membri sive partis*  
argumento, cum, *quod est pars partis, non*  
*possit non esse pars totius, & quod juris est in*  
*toto, idem esse in totius parte*, omni ratione,  
& juris etiam præscripto formulaque videatur.

Quod ita evidens est atque certum, ut Otto M.  
affirmaverit, *juris regni sui esse Elifatium, in ta-*  
*bulis anno 968. confectis*: & in ordine ac numero  
regionum Germaniæ ab Henrico Aucupe de-  
fensarum reposuerit Sigebertus, *an. 922. & ipsam*  
*demum Lotharingiam provinciam Teutonico-*  
*rum appellaverit Frisingensis, lib. 6. chron. c. 19.\**

15. Etsi verò Alsatix status sæpe varius  
fortunaq; interdum inclinata fuit, tamen sub  
Germaniæ regibus stetit semper atque floruit,  
donec publicæ quietis causa regi Galliæ, cui ob-  
situm ac propinquitatem utilissima est, nomi-  
ne satisfactionis A. M DC XLIIIX. traderetur,

D

ita

\* V. Liuth-  
pbrandus Ot-  
toni 1. suppar,  
& consiliorum  
ejus rerumque  
scientissimus,  
hist. lib. 4. c. 14.  
ubi justitiam  
belli Alsatici  
Otto verbis ip-  
se suis exposu-  
it ad milites.  
Continuator  
Reginonis A.  
939. ubi Brila-  
censes Castel-  
lanos in fidem  
clientelamque  
Ottonis redi-  
isse testatur.  
Fuit aliqui  
Bresacū apud  
Germanos fe-  
re, quod apud  
Romanos Cte-  
siphon, expedi-  
tionibus fata-  
lis, & jam in  
Antonini iti-  
nerario me-  
moratum no-  
mine MON-  
TIS BRISIA-  
CI.

\* Ludovicus  
Mendez de  
Haro, pruden-  
tissimus Consi-  
lii Hispanici  
Administer,  
cessit Gallis Al-  
satia, Germa-  
niam compe-  
dibus vincit,  
graviter cen-  
suit. Sed illa  
cessio neces-  
sitate, quæ le-  
gem non habe-  
bat, excusan-  
da, neque ta-  
men dissimu-  
landus occul-  
tus erga eam  
metus Gallo-  
rum, imprimis  
quando pacem  
Westphalicam,  
quæ tuto inni-  
ti poterant, à

memine lesi raperunt, & culpa sua ipsi se jurium per eam partorum securitate priva-  
runt, siquidem hæc talia pacta semper conditionem habeant capitum conventorum  
ab altera parte prestandorum: Ut ita demum in futura pace robur præsidiumque  
superioris pacti sit collocandum.

ita ut eam supremo jure haberet, & cum finiti-  
ma Germania pacem concordiamque coleret.  
Cujus rei causæ cum fuissent omninò multæ &  
graves, tum pro conditione illorum temporum  
hanc conciliationis rationem iniri oportuit,  
quæ carè Austriis constitit, cum quòd eâ re ipsi  
magnam aviti patrimonii partem, tum quòd  
Germani, qui Rhenum accolunt, præsidium,  
securitatis suæ amittebant. Quæ cessio Hispa-  
nis adeò permolesta accidit & acerba, ut contra  
obtestantes pro jure suo, quippe quod nascendi  
sorte sanguinisque jure acquisitum, invitis ac nil  
tale meritis suis regibus auferri non posset, stre-  
nue anniterentur. \* Eo consilio pacis pactio-  
nem apud Westphalos factam, in quantum in  
capite cessæ Alsatiæ juri ipsorum contraria erat,  
omnibus modis oppugnabant, & ut rectè atque  
ordine hoc imprimis arduum & forense nego-  
tium perficeretur, causæ defendendæ partes eo-  
dem anno, quo expetita Europæ pax coaluit, Pe-

tro



tro *Veimio* ad conventum Monasteriensem legato imposuerunt, qui publico decreto intercederet, & usitatâ ritis juridici formulâ prædictum cessæ Alsatiæ caput injustè factum diceret, & curâ rege suo admitti non posset, causam solenniter indicaret. Altero post anno, quàm pace rebus Europæ consultum erat, *Johannes Cuyermanns* rursus contra obtinendi mandatum accepit, muneris sui non immemor, ac in tali cogitatione defixus, ut cessionem, quamlibet ab summa potestate factam, rejiceret prorsus, ac publica contradictione destrueret, irritamque fieri postularet. Hunc secutus est vir doctus, & rerum Hispanicarum apprime peritus *Johannes Jacobus Chiffletius*, eques & archiater sui regis, qui Hispanorum jus, quod quidem ad ipsos ratione Alsatiæ & Sundgovix pertineret, singulari libro, qui *Alsatia vindicata* inscribitur, tuendum propugnandumque suscepit: Propterea quòd id de sententia Hispanorum tale esset, ut transigentium arbitrio ad inferendum domui Burgundicæ da-

D 2

mnum

*Extat apud Chiffletium in Alsat. vind. cap. 12. unde repetit Limnæus annot. ad capitul. Leopold. pag. 902. seqq.*



innum permitti non debuisset, ut quæ ibi & constitutum rectè patrimonium, & hæreditarium insuper patrocinium antiquâ & justâ possessione firmatum obtinuisset. Quæ prætenfio, quanquam tranquillitati publicæ remitti debuit, tamen mox velut classicum majoris belli inter Gallos Hispanosq; fuit, ac diu incertâ eventus expectatione omnium animos suspensos tenuit, usq; dum pace apud Pyrenæos montes inter utrosq; reges instaurata, illa sanè temporum miserîâ difficilis & multi sangvinis impendio agitata controversia, anno MDC LIX. finiretur. Jam certa tranquillitatis in Alsatia retinendæ spes erat, si neqve ulla cuiq; fieret molestia, neq; iniqua conditio ferretur. Sed quia subinde à præfectis regis potestate sua abutentibus multa suscepta sunt, quæ justis de causis decem *imperiales* civitates recusarent, & ut de querimoniis suis cognosceretur, impetrarent, res ea genti in dominatum incumbenti vehementer cœpit esse suspecta. Nihilo seciùs Germaniæ grave erat hoc dissidium, ut quæ maximè vellet cuperetq;  
fer-

servari pacem, & nil minùs optaret, quàm da-  
ri sibi causam, quâ ad bellum excitari posset.  
Idcirco rex subinde monitus rogatusque est, ne  
pateretur præfectos contra transactionem  
Vestphalicam admittere, nec sineret, ut ces-  
sionis capita bonâ fide approbata ad alieni juris  
fines porrigerentur. Atque illuc valuit con-  
siliium, quod imperiales X. Alsatia civitates, &  
Ordo equestris anno cIo lcc LIIIX. quo Ensis-  
hemii tribunal, quod vice regis judicaret, insti-  
tutum est, opportunè iniverunt, & per delega-  
tos idonea juris formula libertati privilegiisque  
suis caverunt, adductis in eam rem argumen-  
tis, quibus docerent, ampliorem illi tribunali  
potestatem attribui, quàm per pactum Mona-  
sterii conventum liceret: ad hæc fas æquumque  
esse, ut Gallia rex in Alsatia non plura jura sibi  
arrogaret, quàm domus Austria, in cujus locum  
successisset, ibi quondam habuisset: idque ut  
fieret, cum ad firmandam pacem, tum ad justi-  
tiam pertinere, nec posse se discedere à vestigi-  
is majorum, qui omni jure & semper cognitio-

D 3

nem

\* *Diar. Europ.*  
*ad A. 1658. d.*  
*25. Octobr. sub-*  
*missa protesta-*  
*tio contra E-*  
*dictum pro no-*  
*vo Alsatia*  
*Parlamento*  
*A. 1657. in urbe*  
*Metensi pro-*  
*mulgatū, ibi-*  
*dem: ex eoque*  
*H. Brew. hist.*  
*decennal. lib.*  
*3. p. 289. Fuit*  
*aliogvi jam o-*  
*lim Ensishe-*  
*mii senatus Al-*  
*satia ab Au-*  
*striis constitu-*  
*tus, uti Haga-*  
*noæ præfecto-*  
*rum, sive Ad-*  
*vocatorum*  
*provincialium*  
*Alsatia tribu-*  
*nal: eam urbē*  
*Fridericus Æ-*  
*nobarbus val-*  
*dè excoluit, &*  
*muro præalto*  
*circumdedit.*  
*Conf. Thuan.*  
*hist. ad A. 1552.*



\* Dicitur. Europ.  
ad A. 1678. d.  
27. Octobr. sub.  
Willi. prot. a.  
no contra B.  
dium pro no.  
no. Al. a. a.  
Parlamento  
d. 1677. in urbe  
M. a. p. a. p.  
m. g. a. t. a. b.  
d. m. e. x. e. p. o. r.  
II. B. r. e. m. d. i. f.  
d. e. c. r. e. t. u. m. l. i. b.  
p. p. 289. E. u. r.  
d. i. o. p. r. i. s. t. i. a. n. o.  
t. i. m. E. n. g. l. i. s. h.  
m. i. s. s. i. o. n. e. m. d. i.  
f. a. c. t. a. e. s. t. a. r.  
f. i. s. t. i. c. o. n. s. i. l. i. a.  
t. u. m. n. o. s. t. r. a. t. e.  
n. o. s. p. r. e. s. t. i. t. u.  
t. u. m. f. u. i. t. d. d.  
v. o. c. a. t. u. r. u. m.  
p. r. o. v. i. n. c. i. a. l. i. u. m.  
d. i. s. t. r. i. c. t. u. m. i. n. t. e.  
n. o. s. t. r. a. m. u. r. b. e.  
E. n. g. l. i. s. t. r. a. m. d. d.  
n. o. b. i. s. m. o. d. o. v. a. l.  
d. e. e. x. c. e. l. l. e. n. t. i. s.  
a. n. t. i. o. p. r. i. n. c. i. p. i. s.  
a. r. m. i. s. t. r. a. t. i. s.  
C. o. n. s. t. i. t. u. t. i. o. n. e.  
f. i. s. t. a. d. A. 1678.

nem tribunalis provincialis defugissent. — Nec  
dum verò talium disceptationum optatus exitus fuit, sed anno clō Ibc LXII. superior controversia cum quadam acerbitate denuò excitata, & vis etiam libertati facta est, unde & turbandi ejus limitis non vana suspicio & periculum crevit, neque sic tamen omisit Germania pro retinenda concordia anniti, & summâ ratione ad tollendas eas lites consilium operamq; contulit. Inde tractum disceptando tempus, & quia rex supremæ præfecturæ titulo, contra jus inveteratumque morem jusjurandum talibus verbis conceptum, quod reipsa civile obsequium & *subjectionem* denotaret, à X. illis civitatibus exigere pertendebat, magni labores imperii & arbitrorum eò delectorum susceptæ consultationes impendiaque omnia irrita fuerunt. Rex enim auctoritate sua cupiens finire controversiam, non paciscendo, quomodo cum civitatibus alienæ ditioni subditis agi oportuit, sed jubendo rem totam perficere statuit, factusque ab iis alienior anno præcipuè clō Ibc LXX, quo  
appa-



apparuit, qualis animus regis esset, vim parantis, si formula, quam præscripsisset, repudiaretur. Nec dum verò istius litis rationes expeditæ sunt, postquam bellum Lotharingicum eodem tempore occultè atque dissimulanter comparatum, magnam insequentis conversionis significationem dedit, & non dictis modò civitatibus, sed Germaniæ etiam pro finibus suis anxie, & quo ista regis irruptio spectaret, sollicitæ metum intulit. Etsi verò nil ommissum est cum reducendæ pacis, tum restituendi Ducis gratia, tamen rex violati pacti causas destinatis occultioribus speciosissimè prætexens, neque intercessione, neque legatione persuaderi ac inflecti potuit. Jam utrinque perspicui poterat, quid ex regis finitimi actionibus sperandum esset, & quò nixa illa tantis opibus copiisque consilia valerent. Nec fallebantur opinione, cum anno cō Ibc LXXII. Fœderati Belgii calamitate monerentur, ut nil moderatum à Gallia expectarent: quod cum maximè ad curam Cæsaris auctoritatemque Imperii pertineret,



ret, sociorum Batavorum Principumque imperii injurias negligere non potuit, gravibusque adeò causis & tempestivis Hispanorum consiliis inductus est, uti pro dignitate sua, quam læsissent Galli, & tuendis imperii juribus, quæ immisso peregrino exercitu violassent, arma caperet, principesque imperii, quorum libertas petebatur, amicitia & foederibus sibi illigaret, ac honestis rationibus eò adduceret, uti uno animo atque consilio secum statuerent, pro imperii hostibus habendos, qui imperium nulla data causa oppugnatum belli molestiis vexassent. Quo turbulento Germaniæ statu decem illæ civitates, quibus sub tutela regis Galliæ tanquam supremi earum præfecti omninò vetus libertas, constare debet, in multa & majora, quam antehac, pericula venerunt, & sub jugo belli Gallici duriter habitæ vehementerque afflictæ sunt: unde ut expediantur, redeantque in pristinum statum, jure armisque est annitendum, & ut coepta Nimmegæ dissidentium partium conciliatio feliciter succedat, ac totum.

331

quo-

quoque hoc negotium rectè perficiatur, Germaniæ refert, atque ad officium de pace deliberantium spectat, & Cæsaris præcipuè gloriæ convenit, ut respublica antiquis legibus denuò firmetur, ac iusto bello dignam tandem ac publicè utilem pacem consequatur.

*Præfectura sive Advocatia Alsatica, quæ in hujus argumenti disquisitione posita est, est vel generalis, cujus tribunal olim Haganoa constitutum fuit, vel specialis & definitè in X. imperiales Alsaticæ civitates attributa, vel singularis, quæ quondam ratione Argentorati \* conveniebat, & à Rudolpho Habsburgio emptæ, postea cessavit, quàm auctore Ruperto Palatino civitates imperiales hoc onere liberata, Vogtos sive Advocatos habere desierunt. Generalis, facta etiam utriusque Alsatiæ cessione, ab Hispania ratione Ducatus Luxemburgici prætendebatur, postquam ii suæ prætensionis renunciaverunt, pace apud montes Pyreneos inita §. 61. diu finem habuit, quæ sæpe mutavit præfectos, & nunc Psirtenses nunc Lutzelburgicos, nunc Palatinos, ac demùm Austrios habuit, cujus ratio hic non habetur, sed ejus duntaxat, quæ X. imperiales Alsaticæ civitates complectitur, quæ salva ipsarum libertate & jure dignitateq; à supremo imperii dominio pendente intelligenda est. Instrum. pac. Osnabrug. §. itemque dictus. Nam plurimum interest inter supremam & jure proprio ac nemini obnoxiam competentem præfecturam, & inter imperium civile, ac verum ratione territorii consideratum dominium. Illa ex pacto pacis Westphalica Gallie regi cessa attributaque est, hoc separatam habet rationem, & inter cessionis factæ capita ad eò non continetur, ut quoque disertè se jungatur. Unde intelligitur iniquitas postulorum Gallicorum, quando talis jurisjurandi formula ab iis concepta est, ut in argumentum domini ratione territorii competentis valeat. Etenim clarè copioseque probari potest atque confirmari, nil præter*

E

domi-

\* Argentoratum à tempore Ottonis III. Imp. salvis juribus & fidelitatis imperialis obligatione, à formula jurisjurandi fidelitatis Imp. præstandi præcendit se esse liberum, & consuetudine perpetua hoc exemptionis privilegium, salva ceteroquin obedientia erga supremum dominum, contra quem præscriptionis præsidium non esset valituum, tuetur. Eò vid. Epistola excusatoria apud Lund. l. IX. Aët. publ. p. 705. Diar. Europ. ad A. 1660.

dominium advocatiæ & protectionis cessum esse Gallo; propter  
quod sanè nullum subjectionis jusjurandum debetur. Etsi enim in  
dicto cessionis capite una coherensque cessio exprimitur, tamen unà  
diversus translationis titulus indicatur, neque à cessione Landvog-  
tiæ inferendum est ad cessionem juris immedietatis, quod dictis civi-  
tatibus sub imperiali supremo dominio sanè expressè luculenterq; est  
reservatum. Neque ab hac sententia nos dimovent literæ, quæ dicun-  
tur, paritoria, vulgò nominata die Gehorsams Brieffe / quippe quæ  
ab Austriis, cum in justa quietaq; Landgraviatus Alsatiæ possessione  
essent, non quâ illarum X. urbium imperialium Advocatis, sed quæ  
augustis Cesaribus scriptæ sunt atque promulgatæ. Itaque ingrati  
erga imperium animi sit, quisquis vim interpretationi adferat, ut  
prefectura provincialis fraudi sit juri imperiali, quo fundata firma-  
taq; sunt hæ civitates, ad quarum tuendam quoque dignitatem per-  
tinet capitulatio Leopoldina §. 8. versic. so dann die 10. vereinte  
Reichsstädt / ubi instrumentum pacis Monast. per se lucis plenum de-  
claratur iterùm atq; in hanc sententiam explicatur. Itaque Austrii  
Ferdinandine propaginis, Germanique steterunt conventis pace con-  
ditionibus, & majorem in modum cupiverunt, ut rex Gallia par erga  
se studium voluntatemq; declararet. Sed quemadmodum id usu e-  
venerit, acta superiorum temporum satis superq; testantur, cum quæ  
sine conditione & clausula Ferdinando Carolo Archiduci persolven-  
da pecuniæ summa promissa esset, post in conditionem pacto Monaste-  
rii Westphalorum inito contrariam, atque in cessionem ab Austriorum  
propagine Burgundica instituendam rejecerunt, neque prius ad im-  
plendum executioniq; mandandum hoc caput, & reddendas quatuor  
civitates sylvestres teneri voluerunt, quàm sibi illo nomine plenè ab  
Hispanis, à quorum eventuali cessione pactum Monasteriense minimè  
suspensum erat, satisfactum esset. Illud verò primò contigit pace apud  
Pyrenæos montes facta, non sine dolore justissimo Archiducis, qui jus  
suum nullo suo merito impeditum verè graviterque querebatur. Eò  
videatur §. instrumenti pacis Monaster. §. item Rex. & §. 61. pac.  
Pyren. nec non confutatio querelarum Gallicarum anno 1658.  
Conventui Deputator. Francofurti submissa, & paulo post in lin-  
gvam Germanicam conversa. Neque causa fuit, cur obtenderetur  
§. Im-



S. Imperator, ubi non cōditio, sed modus designatur, effecturos nempe  
Cesarem atque Archiducem, \* ut, quantum in ipsis erat, eadem  
voluntate paciscerentur Hispani, non sanè ut eventum, quan-  
quam & hic tandem non defuit, prestarent, sed ut studium animum-  
que suum ad propositum hoc consequendum seriò inclinatum declara-  
rent, quem profecto etiam ita declararunt, ut nullis laboribus, nullis  
molestiis atque sumptibus pepercerint, sed omni studio conatūq; pro hoc  
capite ab Hispanis quoque implendo allaborarint. Contra Gallie rex  
ingravescentibus quotidie querelis adeò non medicinam adhibuit, ut  
etiam vulnera & plagas reipublice sæpius inflixerit, juraque imperii  
suis sanè finibus constituta & rectè confirmata infregerit, X. Alsaticas  
civitates oneraverit graviter atque afflixerit, Abbatiam Monasteri-  
ensis urbis in valle S. Gregorii, cujus cœnobium & totius Alsatiæ anti-  
quisimum, & à Dagoberto Francorum rege conditum est, in parte  
privilegiorum turbaverit, cum Ordine equestri Alsatiæ durius egerit,  
& finitimis imperii Ordinibus multas magnasq; molestias exhibuerit, ac  
talia subinde agi fieriq; permiserit, quæ pacis minimè amanti indicarēt.  
Ne nunc addam offensiones alias ex eo natas, quòd civitates Argento-  
raturum & Spira Nemetum multas injurias passæ fuerint, & licet ju-  
ris innocentiaque suæ causas exponerent, tamen in multa pericula  
inciderint, & tranquillitate, pro qua retinenda nullum aliqvi la-  
borem recusarunt, frui non potuerint. Neque meliorem gratiam  
ceteri finitimi inierunt, neque Basileensi Episcopo tenendæ in Co-  
mitatum Pfuretarum prætensionis cupido invidia metusque minui  
prius potuit, quàm honori suo patientiam accommodaret, ne, si nihil cu-  
piditati potentioris, cujus neque vim, neque conatum inhibere pos-  
set, remitteret, se suaque in præsentissimum discrimen ad-  
duceret. Ab his initiis dominatio Capetina in limite nostræ gentis  
cre-

\* A. 1660. in solidum jure suo cessit Ferdinandus Carolus, &  
non modo Alsatiæ ac Sundgovia, sed etiam Comitatus  
Ppuretarum, qui in pacto pacis Westphalica non nomina-  
tur, & ut supra dictum, lege beneficiaria ad Antistitem  
Basileensem pertinuit, necessitate postulatorum Gallico-  
rum victus renunciavit. V. Lund. l. IX. Act. publ. p. 732.  
seqq. De rumore permutandæ Alsatiæ, cujus titulum  
etiamnum usurpant ex Austria Cesares, vid. Brew. l. 3. p. 316.

crevit, & inter superiora dissidia cunctationesque incrementa cepit, latius progressura, nisi prudentia auctoritasque Caesaris felicibus patriæ auspiciis tandem aliquando inhibuisset, & LEOPOLDI nomen Austria semper faustum, \* jam quoque Germania ac universo imperio felix fortunatumque reddidisset. Cui Victori hostium atque tertium Sponso triumphos pariter atque novas Palatinas Neoburgicas necessitudines, quibus magnitudinem potentia firmat, & prepotentes familias amicitia fœdereque conjungit, & se resque suas animis viribusque auget, læti ac libentes gratulamur, precati, uti sanctum illud fœdus auspiciatò ineatur, ac deinceps augustum decus in Filiis Nepotibusque, quos sperat posteritas, summa cum ejus stirpis gloria amplificetur juxta atque propagetur.

\* Id non mediocriter usu probatum est à LEOPOLDO GLORIOSO, hujus nominis in serie Archiducum I. tum à LEOPOLDO PROBO, bellicarum artium imprimis gnaro, & expertæ fortitudinis, cum apud Sempachium animosè contra Helvetios pugnans cecidisset: dehinc à LEOPOLDO PULCHRO, qui aliis crassius dictus est, ac impetum Ungarorum, Bobemorum atque Moravorum sustinuit, & pericula maxima in consilium vertit: post à LEOPOLDO SANCTO, qui plus semel exercitum victorem reduxit, & Stephanum Hungariæ regem vicit, Austriamque famam factis & consiliis munivit à LEOPOLDO MITI, qui Bajoares in potestatem redegit, à LEOPOLDO qui virtutis elogio celebratus, Augustam domum novis insignibus auxit, infideles debellavit, & Richardum Anglum imperii insulas prensantem mox captum custodiâ attinuit, à LEOPOLDO quem honoris titulus distinxit, qui Saracenos prostravit, Damiatbam expugnavit, & quoddam belli contra barbaros fulmen fuit, à LEOPOLDO VIII. qui Henricum VII. Imp. auctoritate suâ corroboravit, & Sœviæ Ducatum, renovata ritque beneficiarii inauguratione familiæ suæ confirmavit, à LEOPOLDO IX. qui & gentis suæ flos, & Nobilium caput, & Germanorum sanè bonos fuit, à LEOPOLDO X. qui consilio & justitia Austriam munivit, & Neostadio castro validissimo arcem imposuit, quibus certè major est LEOPOLDUS AUGUSTUS, omnibus, qui ipsum præcesserunt, gloriosior, quippe non tantum Austriæ, sed Imperii etiam prospero omine successuque instaurator.

AB: 1540 9/7 41

ULB Halle

3

003 942 414




*Handwritten mark*

R

VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13

22

Q. D. B. V.

# Principium Mofel- læ Aufonii


AD DISPUTANDUM  
PUBLICE PROPOSITUM

PRÆSIDE

CONRADO SAMUELE  
SCHURZFLEISCH,  
PROF. PUBL.

RESPONDENTE AUCTORE

M. GODEFRIDO KÜPFENDER  
OLSNA-SILESIO.



WITTENBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr  
ANNO M. DC. LXXVI.

